

probe exsiccatis, quos quotidie aperio et extrico, et alias circiter 150 e Cap. b. Spei accepi.

Inter capenses delectabar imprimis novis singularibus generibus.

*Perpensa*. Petasites *Herm. Lugdb. 488. Plukn. phyt. t. 18. f. 2.* Gynandra diandra.

*Monsonia*. Breyn. prodr. 3. t. 21. f. 2. Polyadelphia, Staminiibus 5, singulis tribus antheris distinctis.

*Mahernia statura Gallii* omnino, et foliis linearibus verticillatis, sed floribus *Hermanniae* omnino, ea tamen differentia quod cucullata nectaria petalorum nulla aderant, at filamentis in medio glandulae nectariferae binae adglutinatae, mira metamorphosi.

E Java habui *Echitis* speciem stupendam, floribus fere *Nerii*, sed singula segmenta petali erant caudata unguibus linearibus, corolla ipsi fere duplo longioribus.

*Pergularia Rumph Amb. 5. t. 29. f. 2.* ad contortas spectat, hujus alia distincta species mihi est in horto viva ex Arabia.

*Fragariam vescae* simillimam accepi e Gallia, sed folia constanter simplicia, cordata nec ternata.

*Passerinam* accepi e Cap. b. Spei, quam quivis acutissimus Botanicus juraret esse *Ericam*, etiam ex figura florum; *Passerina* tamen est et erit.

Corolla est *Ericae* globosa, sed stamina limbo seu faucibus imposita et Bacca monosperma. Rami et folia *Ericae* simillima. Calycem tetraphyllum mentiuntur folia 4, juxta florem posita, sed spatio remota minimo.

*Calophyllum Inophyllum* cum numerosis floribus habui. Flores omnes hermaphroditi sunt, et calyce tetraphyllo colorato, corollâ paulo minore, cadit calyx non antequam petala decidunt. Germen mediocre et stylus longitudine staminum, cum stigmate subcapitato. Dum hanc speciem confero cum *Calophyllo Calaba*, video eandem structuram arboris, eadem folia, idem modus florendi. tantum in Tuo